

Atropam (et Belladonnae proximam speciem habere), fructu capsulari circumscisso, prouti habitus, facies, et tota herba etiam floribus loquebantur ad omnes, sed systematis regulae absolute dicitare videbantur Hyoscyamum. Mirum si haec planta non e patre Belladonna orta, matre aliquo Hyoscyamo.

Vellem vivere et audire quomodo Te expedias cum hoc genere, et quae super Tuum genus judicia Botanicorum. certe si Peloria mea umquam vellet semina producere, essent hae ambae miraculosae species.

Numquam credas v. Tu ipse v. D. Scopuli, quod ego irascerer quod ille a me in variis dissentit. Si essem adeo laevis et irascerer in omnibus quibus placere non potui, per totam vitam vexarer furia infernali. Mihi non gloriosum esset, si omnes consentirent. Ex contrariis tota luxuriat natura, quid esset lux sine tenebris, quid laetitia nisi dolor, infelix terra ubi solus ardor regnat aut solum frigus, gratissima vero ubi vicissitudines climatis. Multum debeo D. Scopuli ob pulchras missas plantas, amo eum, qui amat insecta, et tam strenue in iis laborat.

Pro seminibus missis devotissimas grates reddo, utinam ex his aliqua planta mihi excresceret, utinam Arunci germinarent.

Laetor quod potui per hanc hyemem servare Theam, Vellam fruticosam, Cressam, Drypin pluresque alias, quas antea vivas non vidi florentes. Laetatus fui magnopere hisce diebus quod in olla excrevere semina Peltariae Tuae.

Polypodium a Te missum certe P. Speluncae non est, quod totum hirtum quam maxime; Tuum specimen mihi non satisfaciebat, videtur mihi ex hoc obscuro specimine mera varietas et junior planta Polypodii F. feminae, qualia exemplaria vidi a studiosis nostris lecta.

Dum mecum repetii, quam misere transactum aevum absolvi, constitui absoluto museo reginae edere meum systema, cum numerosissimis istis animalibus quae addam, et